Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36541
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

Alioquin quod salua pace diuini secreti dixerim. nobis de longe positis minus appareret quanta sit sublimitas ma-
vii tris filii dei. Nonne enim uel uidetur ex hac beate uirginis gloriosa resurrectione. post summam illam creatricem omnium trinitatem. quedam patris. filii. et matris apparere trinitas. Ut enim filius summi dei patris in diuinitate est filius. et idem summe iste uirginis in humanitate est filius. Alius nature est pater: alius nature est mater: utriusque autem natura in utroque separata. in filio est unita. et ita patris. filii. atque matris per Christum beata quedam relucet trinitas.
viii Que quidem trinitas dei patris. uirginis matris. filii dei et hominis. tunc perfecta est inuenta. cum deus homo factus est. quia dum in Christo due dispares nature uniuntur. tres numerum iste persone. due uidelicet ad terciam altrinsecus pertinentes. in una sibi trinitate connumerantur. Fit enim trium connumeratio. dum duarum naturarum ad duos in participatione pertinentium fit in tercio qui ad utrumque pertinet adunatio. Sed dum Christus adhuc in hac fragili carne degeneret. hoc quod erat ipse de matre. cum ipsa matre sub communi uilitate mortalitatis inglorium sordebat. hoc autem quod ipse erat de patre. cum ipso patre super omnem gloriam gloriosum preminebat. Resurgente autem Christo de morte. induitur inmortali gloria illa eius substantia. que prius erat ignobilis ex uilitate nostra. Nec indecens erat ut hanc suam incorruptionis gloriam ad suam usque extenderet matrem. cum qua commune prius infirmitatis passibilitatem pertulisset. Quod forsitan in continenti post ascensionem domini et aduentum spiritus sancti factum fuisset. nisi quod utile eam erat differri licet parua mora temporis. ut eius contubernio tam ipsi apostoli. quam ceteri discipulorum Christi. plenius instruerentur de occultioribus misteriis domini saluatoris. sicut attestatur beatus Ieronimus. in sermone de assumptione eius. Inter apostolos inquit post resurrectionem domini intrans et exiens. familiarius contulit de Christi incarnatione. tanto siquidem uerius quanto per spiritum sanctum ab initio cuncta didicerat. et perspexerat oculis uniuersa. licet et apostoli per eundem spiritum sanctum omnia cognouerunt. et in omnem edocti peruenerunt ueritatem. Quia enim ad salutem credentium Christus ex ea natus fuerat.